

2141

CODICES

2142

tinalis seu *Lectioarii B. Mariae* Codice praeced. relati, illi, quoad omnia, conforme, nisi quod Indicem alphabeticum habet, qui partim ante, partim post Opus recentius additus est. Ne profus ἀσυμβολος ab hac Compilatione discedam, vide, quo pia simplicitas deducere possit. *Fol. 61.* in *Lect. 3. Feriae IV. post Dom. Palmar.* inducitur Mater Christi mortem Filii plangens, et inter alia exclamans: *Nichil aliud restat, nisi ut me interficiam.* Advertit id quendam Lectorum, qui in margine monet: *Hic dic caute de interfectione marie.* In Textu nihilominus praevie *Augustinus* citatur, quod ego Librarii lapsus habeo; nam paullo supra *Augustinum* Lectiones sumtae dicuntur *Ex planctu Anselmi*, spurio videlicet illo Dialogo, quem quidem etiam *Gerberonius* in *Adpend. Opp. Anselmi* repraesentavit, immunem tamen ab illa blasphemia.

DCCCXCIII.

R. 1413 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 36. 8. ad imitationem characteris *Aldini*, quem *italicum*, seu *cursum* dicimus, summo nitore exaratus, marginibus omnibus auro, coloribusque auro punctatis ad eum modum jucundissime lemniscatus, qui hodie *Arabesque* audit, Precatorius est, ita inscriptus: ΧΡΙΣΤΕ ΒΟΗΘΗΣΟΝ. *Officium Beatæ Mariæ Virginis Secundum Consuetudinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ A Pu-*

rificatione Vsque Ad Adventum. In hac et pluribus aliis Inscriptio- nibus non nisi aureae et miniatae literae alternant. *A fol. 33.* succedunt *Officium S. Crucis* et *S. Spiritus* eodem profus cultu. Ad quem porro *Κεϊμηλιον* istud referendum fit, prima *Officii* Litera *D* docet. Occupat ejus aream tiara pontificia et clavibus *S. Petri* superimpositis Insigne *Familiae Mediceae*, circumque illud legas: *Pius III. Pont. Max. Anno II. 1561.* Idem nomen *fol. 1. 8. et 13.* inter ornamenta marginum comparet. Habemus igitur *Job. Angelum e Medicis Mediolanensibus* ad Papatum evectum exeunte anno 1559. Synodi *Tridentinae* finitorem et defunctum anno 1565. An vero *Officium* nostrum in usus proprios scribi fecerit, an cuidam ex augusta Domo nostra donum dederit, nihil adnotatum reperio, nec conjectare aliquatenus possum.

DCCCXCIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2180 XIV. Folior. 218. f. forma paene quadra, caractere atro, luculento splendide exaratus, coloribus et initiorum picturis decoratus exhibet *I. Martyrologium Ursuardi Monachi S. Germani de Pratis* ab eo Sec. IX. dicatum *Carolo Calvo*, cujus optimas Editiones habemus *J. B. Sollerii S. J.* et *Jac. Bullarti O. S. B.* Exordium nobis non a Vigilia Natalis Domini, sed a kal. Januariis ducitur, ita: *Cir-*